347181B

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROPE ANASARCA.

85704

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE HYDROPE ANASARCA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER MACLARTY,

SCOTUS;

SOC. REG. MED. EDIN. SOC.

AD DIEM 12 SEPTEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Ὁ βίος βροτοῖς ἄδηλος.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

APUD ROBERTUM ALLAN.

M,DCC,XCV.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ALEXANDER MACLARTY,

FRATRI SUO CARISSIMO,

COLINO MACLARTY, M. D.

QUI ARTEM HIPPOCRATICAM,

APUD KINGSTON, IN INSULA JAMAICENSI,

SUMMA CUM LAUDE SUA,

ET COMMODO MORTALIUM CURÆ SUÆ

CONCREDITORUM EXERCET.

S. P. D.

Amicitia diuturna et ſtabilis, quam memet adverſus conſtanter adhibueris, in cauſa eſt, cur haſce paginas, ut animi grati, et generoſitatis curæque fere paternæ, quibus mentis culturæ, et moribus puris et incorruptis, per totum fere vitæ meæ decurſum, conſulueris, teſtimonium evidens et manifeſtum, tibi, ſine ulla omnino dubitatione, conſecrare decreverim.

Hoc opuſculum igitur, ut pignus amoris inviolabilis, quo te indefeſſe proſequetur Auctor, accipias enixe rogo:

Hicce

Hicce amor, quanquam infeliciter forſitan tibi nihil unquam prodeſſe valuerit, immutatus manebit:

Infreta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Luſtrabunt convexa, polus dum ſidera paſcet;
Semper honos, nomenqne tuum, laudeſque manebunt;
Quo me cunque vocant terræ.——

Ut virtus præmio tibi eximio ſingularique ſit; ut dierum, pro votis, longitudine ſummaque felicitate fruaris; ut omnia denique bona, quæ animum humanum poſſunt reficere et conſolari, tibi abunde contingant, ſincerus exopto.

Idibus Septembris, anno ſalutis humanæ 1795, *Edinburgi dabam.*

Bolſter'd with down, amid a thouſand wants,
Pale DROPSY rears his bloated form, and pants;
"Quench me, ye cool pellucid rills!" he cries,
Wets his parch'd tongue, and rolls his hollow eyes.
So bends tormented TANTALUS to drink,
While from his lips the refluent waters ſhrink.
Again the riſing ſtream his boſom laves,
And Thirſt conſumes him 'mid circumfluent waves.

DARWIN's Loves of the Plants.

A Phyſician has numberleſs opportunities of giving that relief to diſtreſs, which the wealth of India could not purchaſe. This, to a benevolent mind, muſt be one of the greateſt pleaſures it can ever hope to enjoy.

GREGORY's Qualifications of a Phyſician.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYDROPE ANASARCA.

CULLENUS noſologus, quem noſtrum ſeculum viderit, longe celeberrimus, genus hujuſce morbi, modo ſequente definit :—

"Corporis totius, vel partis ejus intumeſcentia "mollis, inelaſtica."

DE HYDROPE

HISTORIA MORBI.

Hic morbus plerumque a tumore pedum et talorum, decolore, inelaſtico, et æqualiter diffuſo, qui, nocte appetente, quoniam poſitura erecta, per diem, uſus eſt ægrotus, ingraveſcit, incipere conſuevit. Mane rurſus evaneſcit. Idem quoque incidit, ſi in poſitura horizontali decumbit æger. Exempla non deſunt, ubi ambulatio, quo minus accederet, ex toto obſtitit.

Hic tumor æqualis et inelaſticus eſt, et preſſuræ digiti cedit, qui cavum parvulum format, quod, preſſura ſublata, in aliquantum temporis poſtea, manet, ſed plenitudinem priorem tandem attingit. Si cauſæ, quæ hunc tumorem faciunt, agere pergant, ad crura, femora, truncum corporis, et caput etiam aliquando, gradatim aſcendit. Oculi fulgorem ſolitum amittunt, et album eorum colorem plumbeum ſibi aſſumit. Quinetiam palpebræ

nonnunquam

nonnunquam eo uſque tumeſcunt, ut ingreſſui radiorum luminis obſiſtant *. Facies plerumque palleſcit, et corpus univerſum eundem colorem gradatim ſibi induit.

Tuſſis ſicca et frequens, cum dyſpnœa, tumorem ſæpe comitantur, quæ ægrotum plurimum fatigant, et ſæpiſſime, cum decubiturus eſt, accedit. Sitis ab initio uſque conſtanter urget. Cutis, per decurſum morbi, magnopere areſcit; quamvis calor ejus temperiem aëris ægroto circumdati vix excedit; et adeo inſenſilis gradatim evadit, ut nullum dolorem, licet comburatur, poſſit ſentire.

Ab initio morbi uſque, urina parva quantitate ſecernitur, colorem ſeroſum habet, et ſedimentum ſubrubrum deponit. Alvus plerumque adſtricta eſt; paucula tamen exempla ſunt, ubi diarrhæa

 acceſſit.

* Illuſtris Van Swietenius memoriæ prodit, ſe palpebras adeo tumefactas, ut disjungi nequirent, vidiſſe. Vol. XII. p. 269.

Vogelius quoque meminit, eas, hoc in ſtatu, in multas hebdomadas, manſiſſe.—*De Hydrope*, p. 554.

acceſſit. Inter morbi initia, pulſus arteriarum tardi et debiles; ſed, prout progreditur, frequentiores, et abnormes evadunt. Appetentia cibi plerumque multum diminuitur, et ſpiritus ex ventriculo ſæpe eructatur, et alia concoctionis depravatæ ſigna accedunt.

Aliquando humor hydropicus, ut viam ſibi patefaciat, cutem diſtendit, et e foraminibus naturalibus effluit. Si non exitum ſibi reperiat, cuticula ſtatim in veſiculas elevatur, quæ rumpi periclitantur. Cum humor in hiſce veſiculis diu retinetur, circuitum ſanguinis in vaſis cutaneis impediendo, gangrænam movet. Nonnullis in exemplis, cutis ipſa inflammatur, plurimum diſtenditur, et plerumque, cum, aliquando ſine, gangræna, rumpitur. Gangræna vero multo frequentius excitatur, quæ ſemet diffundens vitæ ægrotantis infelicis finem brevi facit.

Per hoc ſtadium, omnia ſigna graviſſima evadunt. Poteſtas muſcularis perdi videtur; nauſea

nonnunquam

nonnunquam accedit, quæ ſyncopen facit; difficultas ſpirandi, hoc tempore, tam magna evadit, ut ægrotum decumbere vix patiatur. Cum res ita ſeſe habent, exitus morbi funeſtus eſt expectandus. Et frequentiſſime coma, vel ſyncope, vitam ſubito et inſperato extinguunt, et miſerias ægroti deplorandas ad finem perducunt.

DIAGNOSIS.

Duo tantum ſunt morbi, qui ullam ſimilitudinem cum anaſarca habent, Polysarcia nempe et Emphysema. Quo diſcrimen inter eos morbos rite inſtituatur, notas ſingulis proprias, inter ſeſe comparabimus.

In Polysarcia, tumor non ſitum, pro poſitura corporis, mutat, ut in anaſarca incidit, nec veſtigium digiti ei impreſſi retinet. Polyſarcia a diæta pleniore plerumque proficiſcitur, et gradatim progreditur; anaſarca, contra, diætæ parciori ſemper

per ſupervenit. In una, urina quantitate diminuitur, appetentia potionis augetur, et cutis naturali colore privatur; in altera non quantitate diminuitur, appetitus cibi langueſcit, et color cutis, præter conſuetudinem, rubicundus eſt.

Emphysema, primo intuitu, cum anaſarca confundi periclitatur; ſi vero animum ad naturam utriuſque morbi rite conſiderandam adjungamus, diſcrimen ſatis clarum manifeſtumque eſſe videbitur. In anaſarca, humor, ob gravitatem ſuam, partes inferiores plerumque petit; in emphyſemate, contra, tumor, ab aëre originem ducens, altiora verſus aſcendit, et perquam elaſticus, preſſura adhibita, crepitum ſingularem edere notatur. Hæc, me judice, ad anaſarcam a polyſarcia et emphyſemate ſecernendam ſufficiunt.

SEMINIA CAUSÆVE PRÆDISPONENTES.

Haec autem ſunt talia, qualia atoniam ſyſtematis faciunt :—Horum præcipua ſubſequuntur.

Vita iners et ſedentaria.—Nihil ad vires corporeas ſuſtinendas æque, ac exercitatio modica, confert. Igitur, cum corpus hoc præſidio deſtituitur, poteſtates concoquendi debilitantur, aſſimilatio minus perfecta evadit, circuitus ſanguinis langueſcit, alvus fit adſtricta, et denique corpus univerſum eo uſque debilitatur, ut morbus facile poſſit progenerari. Huic ipſi rei tribui poteſt, quod toties artifices, qui vitam ſedentariam agere coguntur, invadit, et eos, qui ſtudio literarum dediti ſunt, tam ſæpe occupat.

Evacuationes copioſæ et frequentes.—Hæ, judicio omnium medicorum, hydropem frequenter facere

exiſtimantur ;

exiſtimantur; quoniam effectus, quos edunt, debilitantes corpus huic morbo perquam opportunum reddunt.

Uſus liquorum ſpirituoſorum immodicus.—" En " autem (inquit LISTERUS) nova earum progenies, a vino, ſpiritus vini dicti! Hæc fundi " noſtri calamitas eſt; hinc illæ lachrymæ! Etenim hi ſpiritus, ſive meri, ſive multo lenocinio " medicati, ſi aſſidue et multum bibantur, plurimos in hydropen præcipitant *." Hic cauſis hydropis maxime communibus annumeratur. Effectus ejus primarii in ſyſtema nervoſum, ventriculum et hepar, eduntur †.

" Evoe!—Attend ye Bacchanalians! Start at this dark " train of evils; and, amid your immodeſt jeſts and idiot " laughter, recollect,

" Quem DEUS vult perdere prius dementat."

Zoonomia.

Morbi antecedentes, diminutionem virium facientes.

* Liſter de Hydrope.

† Greg. Conſpect. Med. Theoret.

entes.—Febres autem intermittentes, dyſenteriæ, ſcarlatinæ, diarrhææ et ſimiles morbi; potiſſimum ſi longum ſpatium habeant, hydropem progignere periclitantur.

Tenuis parca et aquoſa diæta.—Si diæta, quæ ſumatur, ſit minus valens, et ad corpus alendum parum idonea, in primis clarum manifeſtumque eſt, id, ob conditionem debilem viribuſque defectam, ad hydropem fore pronum.

Aqua frigida, corpore calefacto, epota.—"Alia
" cauſa frequens (inquit Stoll) ruri obſervatur,
" inter meſſores ruricolas hauſtus nempe frigi-
" dæ, æſtuante corpore. Vidi talem hydropem,
" intra paucas horas, ortum: dum enim, ſu-
" dante corpore, hauriunt potum frigidum, at-
" que corpus non protinus movent, ſed quieſ-
" cunt, non tantum varii thoracis et abdominis
" morbi oriuntur; ſed et hydrops fit intra paucas

" horas, aqua frigida hauſta mox in cava corpo-
" ris depluente. *"

Hiſce cauſis modo comprehenſis adjici poſſunt, uſus narcoticorum immodicus, qualia ſunt thea, coffea, opium; ſenectus: affectus animum deprementes, quales ſunt mœror et metus: in aqua multum verſari, ut in piſcatoribus incidit †.

NOXÆ CAUSÆVE EXCITANTES.

Hæ autem clare manifeſteque eſſe videntur:

I. Effusio adaucta.

II. Absorptio imminuta.

I. Effusionem adauctam ſequentia vero facere poſſunt.

Quicquid

* Stoll Prælect. in Morb. Chronic. Tom. I.
† Principia Medicinæ a Doctore Home.

Quicquid reditum ſanguinis ad cor liberum impedit.—Hoc autem evidentiſſime præſtant, polypi dextri cordis ventriculi; valvulæ ejus naturam oſſeam induentes; obſtructiones pulmonum, quæ dextrum cordis ventriculum ex toto evacuari prohibent, et igitur, ne quantitatem ſanguinis uſitatam a cava accipiant, cavent; compreſſio mechanica venis, per varios tumores, quales ſunt, ſteatomata, ſchirri, &c. illata. Quinetiam graviditas œdema pedum, crurum et femorum, aliquando etiam abdominis, facit; quanquam hoc plerumque, a partu, protinus evaneſcere videtur *.

Obſtructiones Hepatis.—Hæ hydropem, fluxum ſanguinis, in venam portarum ramoſque ejus numeroſos, interpellando, et preſſura, qua venam cavam afficiunt, ſæpe progenerant. Quidam auctores

* "Præternaturalia intus in corpore genita, præſertim "vero tumores, ac humores, ſanguinem ſæpe in motu præpediunt, aut in craſi pervertunt, eique adeo diatheſin hydropicam inducunt."

Willis Pharmaceut. Rational.

res ſibi in animum inducunt, obſtructiones affectuſve lienis aliorumque viſcerum hydropem ſæpe creare ; ſed probabile eſt, hoſce, pleriſque in exemplis, pro effectu potius, quam cauſa morbi, haberi debere.

Plenitudo Venoſa.—Hæc a nonnullis exhalationem adaugere fuit exiſtimata ; ſed, hac in re, mihi cum CULLENO ex toto convenit, et igitur verba ejus citanda curabo.——" It may be ſuppoſed, " that a general preternatural plethora of the ve" nous ſyſtem may have the effect of increaſing " exhalation ; and that this plethora may happen " from the ſuppreſſion of fluxes, or evacuations of " blood, which had for ſome time taken place in " the body, ſuch as the menſtrual and hemor" rhoidal fluxes. A dropſy, however, from ſuch " a cauſe, has been at leaſt a rare occurrence ; " and, when it ſeems to have happened, I ſhould " ſuppoſe it owing to the ſame cauſes as the ſup-

" preſſion

"preſſion itſelf, rather than to the plethora pro-"
"duced by it *."

Conditio ſyſtematis relaxata.—Vaſa exhalantia debilitata cauſis hujuſce morbi maxime communibus accenſentur; quoniam, non ſine ratione graviſſima, poni poteſt, ea magis minuſve per atoniam univerſam, quæ in ſyſtemate invaleſcit, affectum iri. Quod hoc magis probabile reddit, eſt, quod membra paralyſi laborantia, in quibus laxitatem hujuſcemodi ſubeſſe liceat ſuſpicari, tumoribus œdematoſis frequenter afficiuntur.

Evacuationes largiores.—Si, præſertim, hæ ſunt ſanguineæ, quantitatem humoris ſeroſi in maſſa circumeunte nimiam, multum globulorum rubrorum et glutinis, quæ ad ſerum in vaſis rubris retinendum plurimum conferunt, e ſyſtemate ſanguifero emittendo, progenerare dicuntur, et igitur ſerum, per exhalantia, facilius effundi patiuntur.

Excretiones

* Cullen's Firſt Lines, Vol. IV.

Excretiones aquoſæ ſuppreſſæ.—Hujuſmodi ſunt ſudor, urina, &c. in ſyſtemate detenta, quæ haud dubie redundantiam humorum aquoſorum, præter naturam, in vaſis ſanguinem vehentibus facere poſſunt, et, hanc ob cauſam, ea exhalationi adauctæ opportuna, modo ſupra comprehenſo, reddere periclitantur.

Eandem ad claſſem cauſarum relegari poteſt frigidæ humidæque regionis in corpus effectus. Vir clariſſimus Doctor DONALDUS MONRO notat—— "That the people in Holland, and other fenny "countries, are more ſubject to dropſies, than "thoſe who live in a more pure and dry air *."

Idem quoque attentionem MILMANI non fugit. "Huic morbo (inquit ille) magis obnoxii ſunt, "qui humili loco, quam qui locis montanis, vitam "degunt †."

Ruptura

* Eſſay on the Dropſy.

† Animadverſiones de Natura Hydropis.

Ruptura vaſorum, quæ vehunt, aut ſaccorum qui humores aquoſos continent.—Hæc effuſionem nonnunquam facit, ſed neutiquam tam frequenter incidit, quam olim fuit exiſtimatum. Experimenta et exempla, a Doctore MONRO citata, tales caſus, quanquam rari ſunt, incidere evidens manifeſtumque reddunt.

II. ABSORPTIO DIMINUTA.

Hæc autem ab atonia finium lymphaticorum abſorbentium proficiſci poteſt. In primis probabile eſt, eandem debilitatem univerſam, quæ laxitatem vaſorum exhalantium progenerat, eodem tempore, jacturam toni abſorbentium eſſe facturam, et hanc ad hydropem movendum aliquantum collaturam.

Abſorptio diminuta, judicio nonnullorum, ab obſtructionibus lymphaticorum ipſorum, glandularumve iis propriarum, oriri fuit exiſtimata. Anaſarca

ſarca quidem brachii, ob ſchirrum tumoremve nonnullarum e glandulis axillaribus; et penis quoque, ob bubonem inguinis, accedere fuit notata. In hiſce vero exemplis, magis probabile eſt, morbum a venis compreſſis, quam a lymphaticis obſtructis, fuiſſe profectum.

Nonnihil ambigi poteſt, utrum necne glandulæ meſentericæ obſtructæ hydropem excitare valeant; quoniam exempla compluria non deſunt, ubi maxima glandularum meſentericarum pars non modice tumefacta fuit; et iter humorum ad ſanguinem nihilominus non occluſum fuit, nec ullus hydrops commotus *. Cum vaſa lymphatica ramos numeroſos habeant, qui anaſtomoſes inter ſeſe mutuas faciunt, minime probabile eſt, obſtructionem cujuſlibet unius eorum, vel etiam complurium, ad abſorptionem, qua fines eorum funguntur, interpellandam multum facere poſſe.

CAUSA

* Medical Tranſactions, Vol. II. and Cullen's Firſt Lines, Vol. IV.

CAUSA PROXIMA.

Evidens et manifeſtum eſt, anaſarcam cujuſlibet partis ſingularis, vel corporis univerſi, oriri oportere, quandocunque plus humoris, in telam celluloſam, per exhalantia effunditur, quam abſorbentia poſſunt inhalare. " At vero (inquit Milmanus) " ſi præ nimia fluidorum, quæ ab arteriolis
" effundantur, quantitate, illis referendis impares
" fiant venulæ, vel ſi a vaſis exhalantibus ſolita
" copia humor depluat, venulæ autem ſimul ſuis
" fungi officiis nequeant, aquoſa colluvies hydropſ-
" que oriatur neceſſe eſt *."

* De Natur. Hydrop.

RATIO SIGNORUM.

Tumor pedum et talorum.—Hic ab humore aquoſo vel ſeroſo, in telam celluloſam effuſo, ortum recta ducit, qui eam elevat, et, ob pondus ſuum, partes inferiores, quæ ſemper magnopere ſunt diſtenſæ, quod cellulæ, quibus aqua continetur, inter ſeſe libere communicant, aſſidue petit. Hæc ratio eſt, cur tumor, veſpere, increſcat, et, mane, rurſus diminuatur.

Pallor faciei et corporis univerſi.—Hic ſemper in omni hydrope inſignis eſt, vel qui chloroſin comitatur, vel ab ea profluit. A quantitate ſeri inuſitata, quæ maſſæ circumeunti ineſt, a pulſibus arteriarum debilibus, et etiam ab aſſimilatione depravata, vel poteſtatibus concoctionis diminutis, pendere videtur.

Cutis

Cutis formam cujuslibet ſubſtantiæ ei impreſſæ retinens.—Hoc ab humore aquoſo in cellulas vicinas, ob preſſuram adhibitam, influente, plane evidenterque proficiſcitur; et, cum membrana celluloſa non parum toni et elateris amiſerit, aliquantum temporis prius elabitur, quam aqua poſituram priorem ſibi recuperare poteſt.

Appetentia cibi diminuta.—Rationi omnino conſentaneum eſt, concludere, ventriculum atoniæ univerſæ, quæ, hoc in morbo, ſyſtema totum pervadit, participem fore; et hinc, cur actio ejus diminuatur, exponere poſſumus.

Tuſſis ſicca et frequens cum dyſpnœa.—Hæc ſigna multum moleſtiæ ægrotantibus ſemper faceſſunt. Si, ab initio morbi uſque, exiſtant, a debilitate totius ſyſtematis, præſertim horum muſculorum et organorum, quæ reſpirationi ſubſerviunt, originem deducunt. Sin vero tantum, morbo provectiore, accedant, ab humore hydropico, qui in cavo thoracis, vel membrana pulmonum celluloſa,

 coiverit,

coiverit, oriuntur; namque, cum quantitas ſanguinis, pr ter conſuetudinem, magna in pulmonibus accumuletur, reſpiratio magis minuſve moleſta evadit, prout arteriæ bronchiorum magis minuſve comprimuntur *.

Sitis.—Hæc a partibus ſanguinis aquoſis, in telam celluloſam effuſis, evidenter manat, qu, ut ſecretio ejus fluidi, quod linguam fauceſque lubricat, diminuatur, faciunt. Cum curſus humorum inuſitatus ad quamlibet partem ſingularem fit, ſecretiones in reliquis corporis locis diminuantur oportet.

Siccitas Cutis.—Hæc pendet a perſpiratione cohibita et parciore reddita, quæ conſtrictioni cutis vaſorum

* Bontius, in obſervationibus ſuis, ſuper hydrope Indiæ Occidentalis, qui a vitiis hepatis ſæpe pendet, eum ponderi ejus diaphragma detrahenti, et inde reſpirationem impedienti tribuit.

Diſeaſes of the Eaſt Indies, p. 38.

vaſorum tribuenda. Etenim cum exhalatio adaucta ſubſit, pro rata ratione, perſpiratio diminuatur neceſſe eſt.

Color urinæ ſeroſus, ſedimentum ejus ſubrubrum, et quantitas diminuta. Color autem urinæ ſeroſus, et ſedimentum ſubrubrum, a quantitate particularum glutinoſarum et ſalinarum, quæ in urina accumulantur, et e nulla alia corporis parte, quam e renibus, expelli poſſunt, clare proficiſcuntur. Quantitas ejus diminuta, a quibuſdam auctoribus, obſtructionibus renum tribuitur; ſed magis probabile eſt, a ſanguine tanta ſeroſitatis ſuæ parte, per effuſionem, quæ in telam celluloſam fit, orbato ſuum ortum deducere; unde impetus humoris illam regionem verſus non diminui non poteſt.

Pulſus arteriarum celeres et debiles.—In cauſa horum inveſtiganda multum attentionis curæque poſuerunt medici. Alii liquoris effuſi irritationi; alii

alii huic liquori, per abſorptionem in ſanguinem invecto, et febrem, hecticæ ſimilem, excitanti retulerunt. Hoc vero difficultatem minime tollit, quoniam arterias, hac abſorptionis poteſtate impedita, frequenter micare pergere videmus. Quod igitur, me judice, cauſa maxime probabilis eſſe videtur, id eſt irritabilitas cordis arteriarumque adaucta, a debilitate pendens.

Cuticula elevata et rupta.—Si lymphatica ſerum effuſum non rite abſorbeant, in tela celluloſa ſtagnat, eam diſtendit, acre fit, et cutem gradatim corrodit. Hinc, ſi hæ partes flaccidæ actioni aëris liberæ objiciuntur, vel gangrænam movet, aut ulcera progenerat, quæ, ob curſum hujuſce tenuis acriſque ſeri ad ea conſtanter factum, ſanatu ſunt difficillima.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

In exitu nullius morbi, quam hydropis, præſagiendo magis cautus debet eſſe medicus; namque ſæpe admodum incertus et anceps eſt. De eo igitur, per gravitatem ſignorum, et ſpatium, quod habuerunt, per ætatem, vires, et conſtitutionem ægrotantis corpoream, attente prudenterque ſtatuatur.

Si anaſarca, nullo alio morbo præcedente, laboret æger; vel, ſi morbus eam anteceſſerit, et vires non multum convulſæ ſint; ſi morbus a perſpiratione impedita proficiſcatur; ſi non diu manſerint ſigna graviora, qualia ſunt ſitis, dyſpnœa, tumor, urina parcior et diminuta, affectus cujuſlibet partis ſingularis, &c.; ſi ægrotus florem ætatis nondum tranſgreſſus ſit, et nullus morbus præcedens vires

ei

ei debilitaverit ; ratio eſt, cur exitum morbi proſperum expectemus.

Si vero hydrops ætate provectiorem, cui vires per morbum diminutæ ſint, invadit ; ſi cauſa ſit, cur obſtructiones cordis vaſorumve majorum, vel ſchirrum viſcerum, ſubeſſe exiſtimemus ; ſi appetitus cibi langueſcat, idque non leviter ; ſi morbus, longum per tempus, duraverit ; ſi, poſt æſtatem calidam extiterit, et dyſpnœa fuerit ſtipatus * ; rebus ita ſe habentibus, ægrotus ſummo in periculo verſatur, et eventus funeſtus tantum ſperandus.

Ægroto nonnunquam convaleſcere contingit, poſtquam ſpes omnes penitus amiſimus. Hoc præſtare poſſunt, mutatio medicamentorum, febris modica ſuperveniens et diaphoreſin movens ; aqua exitum ſibi, et aliquando ſub forma diarrhϾ, patefaciens †.

RATIO

* Journal de Medicine. Tom. 57.
† Greg. Prælect.

RATIO MEDENDI.

E Pathologia, quam ſupra tradiderimus, evidentiſſime conſtat, tria generalia huic morbo medendi eſſe conſilia.

I. Causas Remotas tollere.

II. Humorem serosum, qui in tela cellulosa jam collectus sit, evacuare.

III. Tonum Systemati reddere.

Omnia, quæ curationem morbi recta ſpectant, ſub duobus capitibus primis comprehenduntur. Utrumque conſilium, eodem tempore, ſed perquam caute, promoveri debet. De his ſeparatim agetur.

CONSILIUM PRIMUM.

Primum autem conſilium attentionem noſtram in ea convertit, quæ ad cauſas remotas tollendas accommodantur; quæ quidem corpori ſæpe diu applicatæ, et quoque ſublatæ fuerunt, antequam morbus acceſſit.

Si inertia, intemperantia aliæque cauſæ ſimiles, remotæ, in corpus etiamnum agere pergant, eæ, cum primum fieri poteſt, removeantur. Si cauſæ autem remotæ tales ſint, quales curſui ſanguinis libero, in corde vel vaſis ſanguiferis majoribus, obſiſtunt, ut polypi, cor arteriæve naturam oſſeam ſibi aſſumentes, medicina nihil auxilii præbere poteſt. Si morbus vero a hepate tumefacto aut indurato proficiſcatur, quod non raro incidit, ad mercurium, chryſtallos tartari, et alia medicamenta, quæ in obſtructiones poſſunt, confugi debet.

CONSI-

CONSILIUM SECUNDUM.

Evacuatio humoris, qui in tela celluloſa jam coiverit, ſeroſi, duabus rationibus perfici poteſt.

I. Certas evacuationes ſeroſas movendo, quibus abſorptio, in partibus hydrope laborantibus, excitari poteſt. Ope hujus ſerum ablatum, et in vaſa ſanguifera invectum, e corpore effundi poteſt; atque, ſub forma cujuſlibet excretionum communium, elabi valet. Viæ autem, per quas e corpore exit, ſunt ventriculus, inteſtina, canales uriniferi, et cutis.

II. Aquam e partibus laborantibus, per exitus arte factos, recta emittendo.

Medicamenta, quæ excretiones ſeroſas et aquoſas adaugent, operatione ſua non parum ſtimulant, unde abſorptionem promovent. Cum vero laxæ

inſenſileſque fibræ hydrope laborantium non facile ad actionem cieantur, ægroti hujuſcemodi doſin valentiorem, quam quæ in aliis morbis neceſſaria eſt, exigunt. Hæc medicamenta autem ſunt, *emetica*, *cathartica*, *diuretica*, *ſudorifica*, *ſialogoga*, *ſanguinis detractio*, et *electricitas*.

Emetica.—Cum morbus nonnunquam per vomitionem ſpontaneam fuerit depulſus, hoc primum medicis in animum induxit, periculum eorum facere. Multa vomitus ſponte accedentis exempla memoriæ ab auctoribus fuerunt prodita *. Cæterum effectus eorum, aliqua ex parte, ancipites ſunt; nec, in qualibus caſibus conveniant, adhuc compertum habetur. Actio iis propria eſſe videtur, univerſum ſyſtema ſuccuſſu afficere, et ita abſorptionem promovere; unde liquor effuſus in ſyſtema ſanguiferum rurſus reducitur, et deinde e corpore, per organa urinæ et perſpirationis, expellitur.

Emetica,

* Vide, Exempla a Doct. D. Monro memorata, p. 53 et 54.

Emetica, quorum actio, ſi ullos bonos effectus inde ſperemus, acrior ſit oportet, caute adhibeantur, præſertim in iis, qui hæmorrhagiæ, comati, apoplexiæ, vel dyſpnϾæ a materia viſcida, pulmones obſtruente, proficiſcenti patent; vel, ubi cauſa non deeſt, cur organa vitalia læſa eſſe ſuſpicemur. Emetica valentiora, in uſum, ſæpiſſime revocata ſunt, vinum antimoniale, mercurius emeticus flavus, et antimonium tartariſatum. Horum ultimum plerumque adhibetur, et nulli efficacia cedit.

Emetica, ita, ut nauſeam moveant, data, et ſæpe reiterata, excretionem aquoſam, per alvi dejectionem, urinam, vel ſudationem, frequenter faciunt.

Cathartica.—Hæc multo ſæpius, hoc in morbo, quam emetica, in uſum fuerunt revocata. Cullenus celeberrimus memoriæ prodit, nulla medicamenta, quæ evacuationis humoris ſeroſi faciendæ adhibentur, certius efficaciuſque, quam purgantia

gantia agere. Hanc ob cauſam, ad ea frequentiſſime, et forſitan cum ſucceſſu proſperrimo, fuit decurſum.

Hydrops, multis in exemplis, uſu purgantium ſolo, haud dubie fuit depulſus; et hæc olim pro principibus, et fere unicis, remediis habebantur. Quæ attentionem noſtram potiſſimum merentur, ea ſunt *hydrogoga* et *mitiora*. Ad priora pertinent, elaterium, gambogia, ſcammonium, helleborus, jalapium, &c. Ad poſteriora attinent, chryſtalli tartari, pruna, et tamarindi.

His addi poſſunt mercurius, et ex eo præparata, quæ vim purgatricem nativam habentia, et aliis adjuncta, effectus eorum intendunt.

Cathartica vel vitentur, vel, in conditionibus morbi ſubſequentibus, perquam caute adhibeantur. In conſtitutionibus corporeis debilibus et relaxatis, præſertim morbo provectiore; in ſexu fœmineo, præſertim in iis, quæ hyſteriæ ſunt opportunæ;

tunæ; et in morbo, cum ab hæmorrhagia, cauſis debilitantibus potentibus, &c. proficiſcitur; niſi in ſyſtema abſorbens plurimum agant, evidentiſſime noceant omnino neceſſe eſt. Sydenhamius illuſtriſſimus, ut ægrotus catharticum draſticum, ſingulis diebus, ſumat monet; hoc vero in uſum juſto frequentius haud dubie revocaretur, namque vires ægrotantis citiſſime convellere periclitaretur.

Diuretica.—Hæc quælibet remedia, hoc in morbo adhibita, æquiparare exiſtimari poſſunt; quoniam renes exitum humori, in vaſis ſanguiferis comprehenſo, maxime naturalem et maxime exoptandum ſuppeditant.

Quæ medicamenta, ſub hoc capite, in libris, qui, ſuper Materia Medica, fuerunt conſcripti, comprehenduntur, ea ſunt admodum numeroſa. Igitur de his ſolis meminero, quæ ſunt efficaciſſima. Ea autem ſubſequuntur, *chryſtalli* nempe *tartari*, *ſales alkalini*, *ſcilla*, *digitalis*, *nicotiana*,

na,

na, *lactuca viroſa*, *colchicum autumnale*, *allium*, *millepedæ*, *cantharides*, et *diluentia*.

A. *Chryſtalli Tartari.*—Hi pro remedio, in hydrope, diu fuerunt adhibiti. Manghini fuit primus, qui, ut ad eos, in curatione anaſarcæ, decurreretur, ſuaſit. Et vir eruditus Doctor Home primus fuit, qui eos in uſum univerſum, apud Britannos, invexit. Effectus autem eorum efficaciſſimos eſſe, ſi e quantitate aquæ larga diſſolverentur, ſi doſibus modicis ſumerentur, et ſi in uſu eorum, longum in tempus, perſtaretur, ſemper compertus eſt. E viginti hydropis exemplis, quæ, in ſuis Rebus Clinicis et Experimentis memoriæ poſterorum tradenda curaverit, tredecim hoc medicamento fuerunt ſanata:

Vir clarus hoſce effectus ſalutares, non tantum actioni ejus diureticæ et purganti, ſed potiſſimum ei poteſtati, qua præditum eſt, obſtructiones tollendi, tribuit; quoniam multa medicamenta diuretica et purgantia chryſtallis tartari valentiora eſſe, ſed multo

multo minus in hydropem poſſe, et eos morbum, excretione alvi et urinæ, nulla ex parte, adaucta, ſæpe depulſiſſe, compertus eſt.

Auctoritas Doctoris FERRIAR Homianæ addi poteſt. Ille hoc medicamentum hydragogis efficaciſſimis accenſet. Optimos effectus ab eo, in morem Doctoris HOME, adhibito profluere comperit. In caſibus, quorum eventus fuit fauſtus, maturrime agebat, fluxum urinæ adauctum, intra viginti quatuor horas, progenerans *.

B. *Sales Alkalini.*—Qui, hoc in morbo, in uſum potiſſimum revocantur, ii ſunt fixi; quoniam volatiles, poteſtate excitante ſibi inſita, diaphoreſin plerumque movent. Vir illuſtriſſimus JOANNES PRINGELIUS, Eques Baronettus, hoſce ſales utiliſſimos eſſe crediediſſe videtur; etenim ſequentia de iis in medium profert.——" That he found the " dropſies, which were the conſequences of inter- " mittents, not to be cured by purging alone, nor

* Med. Hiſt. and Reflections.

" by ſoap, nor by mercurials; but chiefly by the " lixivial ſalts, either in the form of broomaſhes, " ſalt of wormwood, or ſalt of tartar. The com- " mon method was this;—about forty grains of " ſalt of wormwood, or ſalt of tartar, were diſſol- " ved in about ten ounces of an infuſion of the " *abſynthium vulgare*, to which were added about " two ounces of the Dutch ſpirit of juniper, and " this mixture was taken at three draughts, and " repeated daily *." Hi ſales tamen rarius adhibentur, et ad eos, ob debilitatem, quam faciunt, magnam, non ſæpe tuto poteſt decurri.

C. *Scilla.*—Hæc, ob vires diureticas potentes, a tempore Dioſcoridis, ad præſens uſque, ſummis laudibus fuit ornata. E clariſſimi Doctoris Home experimentis diſcimus, effectus hujuſce medicamenti maximos eſſe, cum quantitatibus parvulis, adeo ut nauſea moveatur, præcipitur †. Moris ejus eſt, tria

* Diſeaſes of the Army.

† Niſi radix maxima cura exſiccetur, et in utriculis arcte occluſis

tria vel quatuor grana, bis ſingulis diebus, pauxillo nitri et nucis moſchatæ illis adjuncto, dare *. Wagnerus nitrum cremoremve tartari cum ſcilla conjunctum multis laudibus effert. Hoc medicamentum compoſitum, cum quantitatibus, a quatuor ad decem grana, cum portione nitri duplice, pro doſi, datur, fere ſemper, ut diureticum, agere affirmat; licet nonnunquam, ut ipſe confitetur, vomitionem et purgationem moveat.

Nuper, ſcilla mercurio adjuncta optimos effectus edidit. Modus, quo hæc medicamenta conjuncta agant, non ſatis clare intelligi videtur. Experientia tamen, ea poteſtates diureticas perquam inſignes poſſidere, ſatis demonſtravit. Clariſſimus Gregorius, ut hæc medicamenta, diverſis temporibus; viz. ut ſcilla, per diem, et mercurius, ſub

 tempus

occluſis conſervetur, multum efficaciæ ſuæ amittit. Propter magnam ſucci quantitatem, quam continet, cum eam recentem diu ſevare conamur, putreſcere admodum periclitatur. Optima eam præparandi ratio eſt ea, cujus mentio, in Pharmacopeia Nova Edinenſi, injicitur.

* Clin. Facts and Experiments.

tempus cubitum eundi; vel ut mercurius prius, donec ægrotus aliqua ſecretionis ſalivæ auctioris ſigna oſtendat, et deinde ſcilla, dentur monet. Doctor eruditiſſimus opinatur, ſomnum actionem mercurii, in inteſtina, aliqua ex parte, impedire; dum ſcilla, die ſumpta, renes potentius ſtimulat, et plurimum ad ſecretionem urinæ augendam confert *.

D. *Digitalis.*—Vir celebris Dr WITHERING, ut ad hanc, in omni hydropis ſpecie, decurreretur, ſuadendo, attentionem medicorum in eam nuper convertit.

In opuſculo, quod, ſuper hoc argumento, in vulgus edidit, plurimos caſus, et proſperos et funeſtos, recenſet, in quibus ille et amici, in diverſis hydropis generibus, hujuſce medicamenti periculum fecerant. Plurimum auxilii ſuppeditare videtur, cum doſibus unius duorumve granorum exiguis, ſub initium,

* Greg. Prælect.

tium, datur; et deinde, prout ventriculus ægroti id tolerare valet, gradatim augetur *.

Magna in hac planta adminiſtranda cura adhibeatur; quoniam effectus violentiſſimi, immo mors ipſa uſum ejus nimium eſt ſubſecuta. Quo debilitati, quam poteſtatibus vitæ infert, occurratur, quædam medicamenta tonica cum ea conjungi debent. Et, per operationem ejus, ægroto, uſu diluentium liberali, non interdicatur. Vir clarus Doctor Rush digitalem, actionem ſyſtematis arterioſi, per vim ſuam ſedantem, diminuendo, tantum operari exiſtimat. Quæ eum in hanc ſententiam concedere coegerunt, ea fuerunt exempla, a viro erudito Doctore Darwin commemorata; qui ait, ſe

* Celebris Withering hac planta, ſub forma pulveris, e foliis ſiccis præparati, uti conſuevit. Interdum pilulas ex ea, cum portione ſaponis gummive ammoniaci idonea, conficit. Modo ad formam liquidi decurrit; quod, modo ſequente paratur. Drachma horum foliorum e libra aquæ bullientis dimidia, in quatuor horas, infunditur; deinde liquori colato uncia aquæ ſpirituoſæ adjicitur. Una hujuſce infuſi uncia, ut doſis modica, adulto ſufficit.

ſe eam, in hydrope, nulla mutatione ſecretioni urinæ protinus illata, prodeſſe vidiſſe; et raro aliquid auxilii, donec corpus prius debilitaviſſet, attuliſſe *. Auctoritas denique Doctoris DARWIN †; illuſtris GEORGII BAKER, Baronetti, Doctoris FERRIAR ‡, et complurium aliorum, ſucceſſum ejus proſperum in caſibus hydropis, confirmat.

E. *Nicotiana.*—Medici ad effectus hujuſce medicamenti, quod, longum in tempus, neglectui fuerat habitum, animum, opuſculo Doctoris FOWLER, ſuper hoc argumento, in lucem emiſſo, nuper tantum attendere cœperunt. Ille pauculis, in tertio volumine Medicorum Commentariorum Edinenſium, viri celeberrimi Doctoris DUNCAN, de poteſtatibus cinerum nicotianæ diureticis, prolatis, inductus

* Ruſh's Medical Inquiries, Vol. II. p. 175.

† Vid. An Account of the ſucceſsful uſe of Digitalis in dropſies, by Dr Darwin, and an Appendix by Sir George Baker. Med. Tranſact. Vol. III.

‡ Med. Hiſt. and Reflections.

ductus periculum ejus pleniſſimum facere conſtituit.

Exitus autem hujus fuit, quod, in caſibus nonaginta tribus morborum variorum, in quibus adhibitum fuit, vires diureticas oſtendit; et, e triginta et uno hydropis exemplis, octodecim ſanavit. Ex eo tempore, multa ejus pericula inſtituta fuerunt; at effectus ejus eos, quos inde Doctor FOWLER expertus eſt, plerumque non adæquarunt. Nauſeam et vomitionem, in morem digitalis, provocat, et, ob eam rationem, æque caute adhiberi debet. Cum alia remedia morbum non levarunt, ad hoc poteſt decurri, quoniam non parum auxilii, quibuſdam in caſibus, attulit. Pauculos horum, in cubiculis clinicis Noſcomii Regii Edinenſis, quibus præfuit vir clarus Doctor DUNCAN, hyeme ſuperiore, videre mihi contigit. Non vero negandum eſt, in exemplis numeroſioribus, nihil omnino profuiſſe.

F. *Lactuca Viroſa.*—Hæc nuper in claſſem diureticorum

reticorum potentium, a Doctore Collin Viennenſi, invecta fuit, et ab eo laudibus ſummis accumulatur.

Eam in hiſce caſibus, ubi ſubſunt laxitas et debilitas magnæ, et etiam, ubi cauſa non deeſt, cur ſchirrum viſcera invaſiſſe ſuſpiceris, plurimum auxilii adferre exiſtimat. Ut uſus potionis liberalis ei adjungatur ſuadet.

Viginti quatuor exempla accurate depinxit, in quibus omnibus quantitatem urinæ inſigniter adauxit.

Medicamentum tamen eſt, quod auctoritati ejus fere ſoli innititur.

Et pericula ejus paucula, quæ apud Britannos facta fuerunt, nonnihil famæ ejus potius derogarunt, quam addiderunt.

G. *Colchicum Autumnale.*—Inter medicos, de

effectibus

effectibus hujuſce medicamenti diureticis, minime convenit. Ex quo Doctor STORK hiſtoriam caſuum, quos eo ſanaverit, edidit, ad id, in Britannia, iterum iterumque confugerunt medici. Cæterum multo minus ad ſecretionem urinæ augendam efficax fuit repertum, quam a libro ejus perlegendo ſperares. Immo virtutes ejus pluris juſto æſtimaviſſe videtur. Vir celebris Doctor D. MONRO, id, in compluribus hydropis exemplis, præcepit; ſed potentiam diureticam, præterquam in uno exemplo, et ibi modice, non oſtendit, et parum opis ægrotanti attulit. Quinetiam vir eruditiſſimus Doctor GREGORIUS periculum ejus, caſibus in compluribus, fecit; ſed dotes ejus diureticas perquam debiles eſſe compertus eſt, et plerumque quidem vix notabiles erant. Menſibus Julii vel Auguſti, erui debet, ſtatim antequam flores ſemet expandunt; quoniam, aliis tempeſtatibus, radicitus evulſum propemodum iners eſſe reperitur.

H. *Allium.*—Virtutes hujus medicamenti SYDENHAMIUM minime latuiſſe videntur, qui, morbo

ineunte, detur ſuadet *. Exempla utilitatis allii a Doctore D. Monro, et aliis quoque commemorantur.

I. *Millepedæ* et *Cantharides*.—Hæ, a nonnullis medicis, ad fluxum urinæ promovendum in primis accommodari exiſtimatæ fuerunt. Vir clarus Doctor Jackson notat, nullum medicamentum claſſi diureticorum numeroſæ ineſſe, quod in hydropes, febres intermittentes excipientes, tantum poteſt, quantum Cantharides pulvere, vel forma tincturæ, ſumptæ †.

Cum aqua cavum thoracis occupat, et reſpiratio laborioſa evadit, ad cantharides decurri poteſt; quæ, cum pulmones viaſque uriniferas potenter ſtimulent, medicamentum eſſe videntur, quod naturæ hujus morbi optime accommodatur.

Vir

* Sydenham Tract. de Hydrope.

† Jackſon on the Fevers of Jamaica, p. 336.

Vir celebris Dr Farr eas effectus, præſertim in ætate provectioribus, in quibus poteſtates irritantes minus actuoſas, quam in junioribus, fore putavit, præſtantiſſimos edere comperit *. Si non morbum radicitus ſuſtulerunt, aquam evacuarunt, et dyſpnœæ moleſtæ ſuccurrerunt; quod corpus univerſum, in tempus, levavit.

K. *Opium.*—Excretio urinæ quoque opio multum promovetur; et, quanquam non multa exempla, in quibus curationem abſolverit, in monumentis medicinæ reperiunda ſunt, mentionem ejus tamen hic omittendam non duxi. Quam efficax contra hydropes ſit, teſtati ſunt viri celebres, Willisius, Meadius, Monroius, Tralles, Moorhouse, et alii.

Diluentia.—Antiquiores, ut liquores ſpirituoſi parciſſime adhiberentur, enixe conſtanter ſuaſerunt,

* Memoirs of the Medical Society of London. Art XIV. Vol. II.

runt, exiſtimantes haud dubie, humores, ſub forma potionis, ingeſtos, partes hydrope laborantes petere, et igitur morbum augere poſſe.

Non mirari non poſſum, ſenſum communem non citius illis errorem monſtraſſe; namque uti BACHER notat——" Dans toute autre maladie, lorſ-
" que la langue eſt aride, et que les malades ſont
" tourmentées par la ſoif, on leur fait prendre
" copieuſement d'une bois ſon appropriée au gen-
" re et à la cauſe de la maladie. Pourquoi l'hy-
" dropiſie ſeroit-elle la ſeule dans laquelle il ne
" ſeroit pas permis de mettre en uſage les ſecours
" indiqués par la nature * ?"——Qui boni effectus ab humoribus aquoſis, hoc in morbo adhibitis, proficiſcuntur, ii hodie, me judice, indubitabiles redduntur.

Quidam caſuum graviſſimorum, quorum aliquos medici deſperaverant, uſu potionis liberali ſolo fuerunt

* Journal de Medecine pour l'an, 1782.

runt ſanati. De conſuetudine potu abſtinendi perniciosa fuſius egerunt Doctores BACHER et MILMANUS. Hic hydrope laborantibus uſu alimentorum ſiccorum, durorum et concoctu difficilium, quæ ſola a pleriſque medicis præcipiuntur, enixe interdicit; et, niſi diluentia liberaliter aſſumantur, diuretica optima nihil omnino prodeſſe aſſeverat.

SUDORIFICA.—Hæc, cum commodo, ſub initium morbi, dari poſſunt, cum non multum debilitatis in ſyſtemate invaleſcit; ſed, morbo provectiore, ſudorem movere difficillimum eſt; et, propter hanc rationem, eventu tam incerto, ad ea medici raro decucurrerunt. Medicamenta, quæ, hoc conſilio, in uſum revocantur, ſunt ex antimonio præparata, per ſe data, aut cum opio conjuncta.

SIALAGOGA.—Hic morbus ſæpe a ſchirro, et ſimilibus viſcerum affectibus, pendet. Idcirco, in caſibus hoc genus, fiducia noſtra præcipua in medicamentis, quæ ad hanc claſſem pertinent, collocetur

cetur oportet. Mercurius eſt unum e potentiſſimis, quæ noverimus, et, ut omnes norunt, actionem abſorbentium magnopere ſtimulat. Celeberrimus Doctor LIND memoriæ prodit, ſe quadraginta ægrotos, et plures, uno anno, ſecretionem ſalivæ modicam, uno pilularum mercurialium ſcrupulo, noctibus alternis dato, excitando; et, die interveniente, miſturam diureticam ſyrupi ſcillitici, cum ſale diuretico, præcipiendo, ad ſanitatem rurſus reduxiſſe *.

Vir clarus Doctor D. MONRO de caſu fœminæ generoſæ, quinquaginta annos natæ, quoque meminit, quam aſcite, intra duas ſeptimanas, uſu granorum decem pilularum mercurialium, unoquoque mane et veſpere ſumptarum, liberavit.

Quinetiam memorat, patrem ſuum, pauculis diebus, aſciten anaſarcæ adjunctum, duabus tribuſve calomelanos doſibus, quibus acceſſit infuſum baccarum juniperi, feliciter depuliſſe.

Mercurius

* Lind on the Diſeaſes of Europeans in hot climates, p. 268.

Mercurius, denique, non tantum ſialagogum potentiſſimum eſt; ſed actionem abſorbentium, et omnes corporis, quotquot ſunt, functiones efficaciter excitat.

SANGUINIS DETRACTIO.—Hæc eſt remedium, quod olim a Doctoribus HOFFMANNO, HILDANO, SPONIO, et nuper a viris illuſtriſſimis MONROIO, HOMIO, RUSH, FORDYCE, STOLL, &c. fuit adhibitum.—Doctor D. MONROIUS, ut, in caſibus, ubi ſanguis denſus, et extractus cruſta coriacea obtegitur, et impetus in vaſis ſanguiferis nimius eſt, ut regimen aniphlogiſticum adhibeatur, et ſanguis ægrotanti mittatur, ſuadet. Ut ſanguis, hoc in morbo eliceretur, frequenter præcepit; ſed nullos effectus pravos ab hac medendi via unquam oriri compertus eſt. In exemplis anaſarcæ recentioribus, ubi pulmones multum affecti ſunt, et febris ſubfuit, nihil aliquid opis ægrotanti afferre, niſi ad ſanguinis detractionem confugeretur, poſſe e multis exemplis didicit. Vir celebris Doctor RUSH caſum memorat, in quo ſanguis, e vaſis hæmorrhoidali-

bus,

bus, et e naribus, ſponte profuſus, tumores hydropicos univerſos ſubito magnopere diminuit. Quinetiam huic adjicit, ſe, per decurſum trium annorum proxime elapſorum, unum aſcite laborantem, et tres anaſarca conflictantes, ope ſanguinis miſſionis, ad ſanitatem reduxiſſe *. Inſuper memoriæ tradit, a Doctore Rawlins, cum ſucceſſu æque proſpero, in uno caſu fuiſſe adhibitam, qui nitro et aliis medicamentis parere recuſaverat. Caſus, quibus maxime convenire videretur, ſunt ii, qui ſemet, in corporibus, vel in iis mortalibus, in quibus morbus hæmorrhagias menſeſve ſuppreſſos excepit, oſtendunt. Hoffmannus celeberrimus, ut ad eam, in anaſarca, quæ proficiſcitur a menſtruis, vel hæmorrhoide ſuppreſſa, decurratur monet. Idem, eo judice, faciendum, aſthmate ſanguineo, vel nimia plenitudine ſubſtante †.

Electricitas.—Hæc, utpote quæ actionem

abſorbentium

* Ruſh's Medical Inquiries, Vol. II.

† Hoffman's Practice of Phyſic, by Dr Andrew Duncan, Vol. II.

abſorbentium excitet, prout Doctor CAVALLO teſtatur, hydrope incipiente, cum commodo in uſum revocari poteſt. Nunquam vero, in hydrope provectiore, profuit *.

II. Humorem e parte laborante, per exitus arte factos, recta elicere.

Si ſerum effuſum in limites circuitus ſanguinei, quibuſdam e remediis, ſupra comprehenſis, adhibitis, non redeat; omnino opus erit, ad aliquam operationem chirurgicam, quo humor evacuetur, decurrere, quoniam relaxatio, quam partibus, ubi ſtagnat, infert, elaterem earum, aliqua ex parte, perdit, et, ut medicina nihil poſſit in morbum, plane facit. Hoc autem optime præſtabunt, EPISPASTICA, PUNCTURÆ, FONTICULI, et SETACEA.

EPISPASTICA.—Hæc a nonnullis magnopere probantur, dum ab aliis ex toto repudiantur, quod

 gangrænam

* Cavallo on Medical Electricity, p. 65

gangrænam nonnunquam movere periclitantur. Sub initium morbi, adhiberi debent; propterea quod, eo tempore, gangrænam non tam facile creare poſſe videntur.

PUNCTURÆ.—Hæ primum, in parte femoris ſuperiore, fieri debent; et deinde, cum fructu, deorſum talos verſus procedetur, quod vulnera, partibus ſuperioribus inflicta, facile ſaneſcunt. Hoc pravis effectibus, qui ab aqua nimis ſubito evacuata profluunt, occurrit. Poſtquam inciſio facta eſt, ut partes aliqua materia unctuoſa, quo occurratur abraſioni cuticulæ, lubricentur agendum eſt. Vir clarus Doctor PEARSON curationem hydropis ſingularem, quæ uſu puncturarum continuo abſoluta eſt, refert. Hoc in exemplo, purgantia et diuretica incaſſum tentata fuerunt *.

FONTICULI.—Hi, infra genu aperti, bonos et ſalutares effectus edidiſſe dicuntur.

SETACEA.—

* Medical Tranſact. Vol. III.

Setacea.—Hæc a nonnullis fuerunt laudata. Proclivitas vero ad gangrænam, quam æque, ac fonticuli, faciunt, uſui eorum potentiſſime adverſatur. "Gangrænam inducunt (inquit Sydenhamius) et ultimo morbi ſtadio periculoſæ paracenteſis et punctura. Quinetiam omne vulnus, in hoc morbi ſtadio, curatu difficillimum."

CONSILIUM TERTIUM.

Tonum Systemati reddere.

Quæ remedia huic conſilio maxime accommodari videntur, ea ſunt Frictio, Diæta Nutriens, Exercitatio, Medicamenta Tonica, Balneum Frigidum, et Aer Purus et Siccus.

Frictio.—Hæc ope panni lanei, cum applicatur, calefacti perficiatur, et frequenter reitere-

 tur;

tur ; quoniam actionem abſorbentium efficaciſſime promovet. Compreſſio lenior, cum ad tonum fibris relaxatis reſtituendum magnopere conferat, frictioni adjungatur.

Diæta Nutriens.—Diæta generoſa eſſe debet, et e cibo concoctu facili conſtare, qualis eſt caro animalium juniorum, et panis bene fermentatus. Potus ſit vinum Luſitanum, ex aqua dilutum ; liquor, qui vulgo *Gin Punch* appellatur ; cereviſia Londinenſis lupulata, vel ea, quæ valentior denominatur.

Exercitatio.—Ambulatio, equitatio, rheda vehi vel navigare, cum commodo adhiberi poſſunt. Conſtanter tamen curetur, ut ægrotus, hiſce remediis nimis violenter utendo, defatigationi non objiciatur.

Medicamenta Tonica.—Rubigo ferri, ex. gr. pulvis Corticis Peruviani, cortex Suieteniæ,

Soymidæ,

Soymidæ, &c. ad vires ægroti renovandas magnopere faciunt.

Lavatio Frigida.—Ad hanc, cum ſucceſſu proſpero, ſaltem aliquando, cum ægrotus convaleſcere incipit, decurri poteſt.

Aer Purus et Siccus.—Si ægrotus, in cœlo nebuloſo et impuro degat, ad purius clariuſque, cum primum fieri poteſt, demigret; quoniam illud ad morbum excitandum non parum eſt efficax. Quæ res vera ſubſequitur, eam e viro claro Richter, verbis propriis citandam judico, quoniam, quam neceſſarium ſit ad aëris puritatem et ſiccitatem, quantum in manu noſtra eſt, attendere, plane evidenterque demonſtrat.——" I once ſaw (inquit " ille) an Italian merchant, who ſat at an ordinary " in Holland, eating with a good appetite, who " was all over dropſical. Upon enquiring into the " ſtate of his health, and adviſing him not to ne- " glect his diſeaſe, he anſwered, that he found " himſelf in other reſpects quite well; and that he

" was

"was convinced his diſeaſe was of little conſe-
"quence; for that he had already been five times
"in Holland, had each time got the dropſy, which
"had always gone off as ſoon as he arrived at his
"home in Italy *."——Si ejus conditio vitæ talis ſit, qualis ei uſu exercitationis libero non interdicat, eam ſingulis diebus conſtanter adhibeat; namque in hunc morbum, uti omnes medici lubenter confitentur, plurimum quidem poteſt.

"Nec reſtitutus (inquit VOGELIUS) vero æger
"periculi expers cenſendus eſt, quum morbus facile
"redeat; quapropter bona ſua habere ſuſpecta
"debet; maximeque ab ardente ſpiritu abſtinere.
"Recurrens enim morbus priori deterior eſt, ho-
"minemque certiſſime jugulat †."

* Richter's Medical and Surgical Obſervations, tranſlated from the German by Dr T. Spens, Edin. 1794.

† Vogel. de Cogn. et Cur. Morb.

FINIS.

B701